Banaszewic Adami Casimiri: Ortus Bethlehemitici Phoeb.

# ORTVS
## BETHLEEMITICI PHOEBI
Supra Christiani Chemisphærij Chorizontem Orientis Stellâ iter monstrante

## TRIBVS REGIBVS
de Sabba Venientibus,

## NATIVITAS
## Filij DEI Unigeniti
ex Maria Virgine in Bethleem nascentis,

IN FESTO

## TRIVM REGVM
DEPREHENSVS.

& pio cultu Venerabundoq; applausu

*A*


M. ADAMO CASIMIRO BANASZEWIC,
in Alma Vniuer: Crac: Philosophiæ Doctore,

## ADORATVS.

*Anno à primò ortu Phœbi huius lucidissimi* 1687. 6. *Ianuarij*.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Francisci Cezary, S. R. M. Illustriss. ac Rndiss. Dni. Episcopi Crac. Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorsc. Typ.

## In Stemma Illuſtriſsimi Domini, NICOLAI OBORSKI Epiſcopi Laodicenſis Suffraganei Cracou:



LILIA dum niueis Vernant Tibi candida gemmis
Lacte Tuam caſto tangere nata togam.
Cernimus hoc in Te quando trahis omnia flore
Pectora odorifero publica fiſq; ſalus;
Hæc Tua ſunt floris cæleſtia pharmaca ſemper
LILIA de manibus ſunt medicina Tuis.

IOSEPHVS FIRLEY de Konary KONARSKI,
Eloquentiæ in Alm: Vniuer: Crac: Auditor.

Illustrisimo & Reuerendisimo Domino,

# D. NICOLAO OBORSKI,

## EPISCOPO LAODICENSI,

Suffraganeo Cracouiensi, Generali in Spiritualibus Dioecesis Cracouiensis

## OFFICIALI & VICARIO

Dño Dño & Patrono amplisimo.

S*Erò licet Orientis inter quævis lumina lucidißimi Bethleemitici Phæbi, non extra tamen temporis feriam: quia cum Regibus, dum in Christiani Chemisphærii Choryzonte ortum adoro. Genthliacum nascenti carmen apud Te interea occino* Illustrissime Domine. *Nesciêram ad Te iter, nisi stella hæc, quæ supra ortum Bethleemiticarum cunarum illuxit, mihi monstrâsset. nec etiam par fui cum Pastoribus die ipso Natiuitatis rudi quidem sed cælo dilectâ arundine ad fores Tuas meditari, sed potiùs cum Regibus, redeuntem Serenißimi Phœbi istius, quod fausto oculo aspexeris vul-*

*tum Ti-*

tum Tibi gratulari. Noui quod altis montibus primam semper orditur lucem Phœbus; Tua verò Columna Liliata tam sublimis est vt rara humana manus, Sola Diuina verticem eius cum corona attingat; ac proinde ipso die Natiuitatis eius Tibi lux oriri debebat, sed non me tarditas hæc confundit quam excusant modò primùm Salutantes Reges. Ago id eò confidèntius quo perspèctius mihi notum est à Tè & seram non reprehendi gratulationem: semper enim ortus huius Solis Tibi gratissimus est, amplius quàm quinquaginta annis per Manus Tuas in Sacramento altaris lucet, verè non sub modio sed magno cum totius Christiano-Lechici Orbis Solatiò; Virtus Tua & Sapientia quotidiana est eius hucusque motrix, cuius hic prætereo laudes quas vniuersus loquitur Orbis) quâ non assistente vitarem hunc Planetam nec indignissimis labiis meis splendidissimum ortum eius adorare Phàëton auderem. Nunc verò cum sub Tuo nomine ortum eius adoro etiam in Tuum nomen benignissimas eius influentias precibus dirigo. stet diuturnius Herculeâ, eius influxu columna Tua Liliata (quâ tot scandunt cælos animæ.) Conseruet copiosissimo Diuinæ benedictionis rore Lilia Tua hìc Planeta splendidissimus, vt hìc expertia omnis pruinæ floreant quam diutissimè, in cæleste verò viridarium transplantata coronas Tibi nectant. Ita Tibi de cælo grandinent sacra & felicissima omnia plenæ Liliis Manus, quod Votis immortalibus opto.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Dominationis Vestræ

*Clientum minimus*

M. ADAMVS BANASZEWICZ,
in Alma Acad: Crac: Philosophiæ Doctor & Professor.



ORTVS

# ORTVS

## Bethleemitici Phœbi Salutatus.

Salue post nubila Phœbus
post atras superstitionum tenebras
Lux & Via Dulcissime Iesu
*Veritatis diem exordiris ego Te elinguis saluto Memnon:*
*quia nunquam adhuc ad ortum Tuum publicè locutus sum,*
*nec potest hic aliquis Harpocrates linguæ fauere, cum omnis*
*amica silentij decessit nox, dies lætitiæ successêre*
*qui semper facundi habentur,*
*iubilandum quemq; oportet.*
Qui quanquam necdum in Meridie Hierosolimitana stetisti
vbi Magnam lucem & influxum Sanguinis
in tenebras & aridam terram efusurus es,
in prima Scansione Chorizontis Bethleemitici ita
refulsisti Spei humanæ vt amplius non desperaret.
Vere initio ortûs tui
Mundus aspexit optatam lucem,
cui antea cum talpis fœdus cum latebris commertium fuit.
Qui in tenebris delitescebat hucusq;
iam Magnæ lucis clementiori orbitâ lustratur;
&
quem fecerat conflagrare iniquissimus primi nostri
*Parentis ausus, eum iam extinguunt rorantes*
*cœli & pluentes nubes.*
*omnesq; qui ambulauimus in tenebris cælo detrusi Phaetontes,*
*luce iam fruimur amabili.*
Redis in orbatum luce Chorizontem
o lucidissime Planeta!
Sed certe etiam felici aureum currum Tuum in nostram vallem
dirigente Motrice
SS. Virgine Maria,
*(quæ etsi Filia Filiorum illius imperiti aurigæ Adæ nimirum sit,*
*ipsa tamen gnara regendi.*
*sæpe degenerant in melius Filii verius dicam Filiæ.*
Hæc sola sub vesperam hanc visus omnium nostrum
obnubilantem tenebras non sensit.
Plusquam Lynceæ felicitatis

Sola ante ſæcula præuiſa nullam maculam
originalis culpæ in ſe habitura.
Aurora atram vitiorum noctem ſerenans
& ortum Solis huius in mundum ſpargens)
X & Ita illuxiſti vt nullus ſit tam profundus locus
quem non radij Tui attingant.
*Profunditas inferni plena Tuo ſplendore*
*Incolarum eius rapinæ iam in aprico ſunt,*
*quæ latere hucuſq; poterant,*
*& non eſt id felicitatis quidquid cæco Marte occupârunt.*
*Nec vltra vobis graſſari animarum veſpertiliones facile eſt*
Venit tenebris Veſtris hoſtis dies:
nempe priuauit vos amicâ infeſtandi nocte
vt nihil poſsitis,
ceu piſces aliquando in littore Neptunus aquis,
Lucidiſsimus hic Planeta.
aperuit cæcum Martem & illuminauit,
quæ lux vobis inimica eſt.
noctes & ferales bobones cedite;
non iam ampliùs de die hoc tonabitis voces;
nec ad veſtros cantus gens humana gemet
clade ſuæ ſalutis afflicta.
*Omnes hinc abeſte procul abeſte lemures;*
*Phœbus aureo vultu radians*
*doloſa veſtra ſtratagemata prodit, & aſtutias*
*eò grauiores quò magis ſub nebulam ſæuientes.*
Iam periculoſa tranſijt nox,
cuius ſat hucuſq; fuerat
ſecuriùs & nos contra veſtros nocturnos motus euigilabimus,
nemo latro animarum,
quas paraſti ſub nebulam technas,
illis iam meditare vti
niſi enormiter ipſe velis in eaſdem incidere.
vndiq; benè nobis cedit.
Quid etiam a benigno hoc Planeta!
nil niſi ſerena dies & propitij influxus ſperandi,
ad quos à tot ſæculis arida terra
rideat tota facie ſua non amplius
Spinas datura.
areſcentia abhinc ne dicas eius arua
habet enim copioſum rorem
Phœbus hic benigniſsimus,
*quo exuſtum vigorem eius augebit ac ſeruabit*

*gemina-*

*germinabit semper terra virentem herbam,*
*Iniquas cæli iniurias non timet.*
*grando & omnis pruina non est nocitura illi,*
*agente & influente benignißimo hoc ac lucißimo Phœbo.*
His Tuis influentijs o splendidissime Titan,
calefactus ad ortum tuum gestio.
serò quidem sed Reges de Sabba venientes,
excusant tarditatem, qui etiam hodie
ortum tuum adorant & muneribus excipiunt.
Aurum quidem ego non fero, nec thura quia non de Sabba venio
Myrrha & hæc mihi mira
*arundo tibi rudis placeat quâ didicit meditari musa mea.*
*Etsi Reges hodierni pro Regnorum suorum necessitatibus*
*ad te supplicârunt & inuenerunt*
It clamor cælum Regni nostri, Musâ meâ
supplicante ad te; atq; vel maxime
vt quæcunq; inimica Christianis sydera deficiant in influxu suo,
Lunæ Othomanicæ facile Anaxagoras defectum patefaciat.
*vtiq; quò hic Planeta propior soli eò minus lucis habet*
*Scintilla in igne non apparet nec lympha in mari cuius est.*
Pallidam hanc experiatur Othomanus,
quando nos Te splendidissimum & fulgentissimum adoramus
qui secum omnia trahis sydera.
non videat ampliùs cum Xenophane viros & Regna
in luna sua: quia verius in tua hæc sunt potestate.
Verificetur Homerus
vestes lunam exuere & induere
*vt hæc Othomanica quæ tot induit Regna exuatur illis;*
*si creuit decrescat: quia luna nunquam in eodem sistit*
*Sol autem semper in plano & pleno est.*
Lunatici isti non sint diuturnæ felicitatis,
sit pænes nos solares felicitas hæc:
qui scilicet Te solem adoramus & veneramur
Sta omnibus Iosuis Christianæ fidei
nec mouere ex apogio eorum
donec isti Gabaonidæ prosternantur.
*Scio apud Euripidem Sororem Solis esse Lunam;*
*sed hæc Tibi nullius est cognationis.*

*eclypsetur ad Tuos fulgentißimos radios.*
*ego vlterius incomprehensibilia vestigia Tua*
*per Christiani Chemisphærij Chorizontem*
*nescio nec audeo sequi ;*
*ne forsan inscius viarum ; & nimis audax in Erydon decidam*
Sufficit mihi te adorare Orientem Phœbum
cui cultui si impar, suppleant hodierni tres Reges,
in quorum petita cum influxit gratia Tua
Velis agere quam benignisimè in Regni nostri
& totius Christianitatis necessitates omnes
luceq; præsis, qui semper omnem
hominem venientem in hunc mundum
illuminans es lucidissimus.

# P H OE B V S

## Post tenebras mundi quibus huius climata pressa,
## Horrida post nubila fulget amænus ei.

## ODE DICOLOS TETRASTROPHOS.

NEgligens recti vetitum per omne
Ire gens audax, homini negatis
Impijs pennis petijt volare,
Decidit alto.

Dædalus ponto vitreo, solutus
Lege, quam præscriptam habuit,-
-Daturus|& suum nomen Pater ille primus
Posteritatum &

Mersa gens longo maduit dolore,
Faucibus totis bibit æquor illud,
Cerberi lymphas violenter vrgens,
Gurgite vasto.

Nulla lux fulsit radians natanti,
Densa nox tantum tenebras per omnem
Orbis hanc axem, dabat ac sonabat
Æolus atrox.

Sæua tunc moti rabies profundi,
Et nimis certans Aquilo timendus,
Semper & triſtes Hyadas pluentes
Senſimus Orbe.

Nec Pharos luxit renuit fauere
Quæq; ſtellarum, latitauit vmbris
Mundus errauit ſpoliatus alti
Lumine cæli.

Lumen obduxit radiantis oris,
Myſticus Phœbus Phaetontis auſu
Texit heu Mundum! miſer vt periret
Ignibus atris.

Solis ergo iam ſpoliata vultu,
Caſtor haud Pollux radiauit vllus,
Preſſa gens vmbris gemitus tonabat,
atq; dolores.

Fundit ad cælos pia vota errans,
Et vocat Diuos penitus ruendo
O Deus tandem venias precamur,
Reſpice gentem!

Héu nimis longis cruciamur vmbris,
Noctis huius iam pereant tenebræ,
Et pluant nubes, madeantque cæli
Imbre beato.

Sicnè tam triſti tumulata fundo
Semper has vmbras patieris o gens!
O Veni in lucem procul omnis exeſt,
Vmbraq; noxq;

His tuis tandem grauibus querelis
Pone menſuram facias modumque
Ac cadentem ſpem modo tolle ſurſum, ac
Erige mentem.



Grando

Grando non semper metuenda culmo
Irruit, nubes fugiunt tremendæ,
Tollit obscuro Notus albus Orbe
Nubila sæpè.

Iam nouercantes abeunt tenebræ
Et polo noctes oriente Phœbo
Atra tempestas silet atquè quæuis
Orbe querela.

Surgit in mundi faciem Planetes,
Aureo vultu veniens Olympo,
Et iubet gentis senium renatam
Ferre inuentam.

Bethleem nobis ab amoris igne
Ore festiuo micat, atquè ridet,
En Deus cunas homini sacratas
Occupat infans.

Alta cælorum iuga negligendo
Vertices summos Superis beatos,
Scandit ad terram, teneamus vt nos
Culmina cæli.

Despicit Summus validos triumphos,
Quando despectæ petit ima terræ,
Supplici cultu famulatur illi
Bos Asinusq;

Angelus psallit, resonatque nomen,
Fistula pastor canit ad nitorem,
Dona fert Magus, noua gaudiorum
Messis abundat!

Lætius viuit genus omne tandem,
Territus Pluto lachrymatur ipse
Audijt postquam radiare Phœbum.
Væ tonat acre.

Noctuæ

Noctuæ tristes sonuêre voces
Ante, stentores venerantur ortum
Iam modo, luctus gemebunda voxque
Exulat omnis.

Tristis ergo non maneas querelis
Quisque, sic Pindus latices refundit,
In nouum vitæ genus & viroris
Surgite mentes.

Cum dies nobis redit & refulget
Lætior, tandem procul este planctus
Atque mærentes procul ô querelæ
Cedite tristes.

Turcicæ Lunæ radios cruentos,
Solis est virtus tenebrare Lunam,
O Deus vincas potiore semper
Luminis ortu.

Nempe quanquam sat nimium furorem,
Et Getæ semper minitentur arcum
Nulla Mauortis metuamus arma
Te Duce Phœbo.

Lucidum nil est sine te quod orbis
Tendat ad lucem, sacra lampas ergo
Ire fac nostram sine nube Vitam
Poscimus à Te.